

« capit hominem ad vitam æternam, nisi ipsum »
« verbum mento ipsis capiat. »

5. — Quæri hoc loco non incongrue poterit, cur Deus Evangelii sui primos Prædicatores, arte et professione sua piscatores esse voluerit? quod si dicas, id factum esse, ut ejus omnipotentia tanto magis per eos elucesceret, dum scilicet imperatores et mundi monarchas per piscatores ad se attrahebat, responderi mox potest, idem quoque seculum fuisse, si Evangelium suum per rusticos aut agricolas annuntiarî disposuisset. Pro responsione S. Ambrosius notat, quod natura nullum habeat animal ferocius pisce, siquidem omnia alia animalia, quantumvis fera illa sint et truculenta, arte tamen humana circuntantur et mansuescunt, solum piscis homini nunquam redditur familiaris. Inter se mutuo unus devorat alterum. Ecce tibi igitur in piscibus prenatos barbaro est paganos, qui falsa simulacra adorabant; hi enim intractabiles, feroces et crudeles erant, et tamen Deus illos, per horum piscatorum apostolicorum retia, efficitur ad se trahere novit.

6. — Observat Toletus, quod locutio *capiens* in Græco idem significet, quod *vivacipio*. Jansenius idem quoque esse dicit, quod *vivum capere*: « Recte » intelligitur significari, Petrum capturum homines, non quomodo hostis in bello hostes suos capere « studet, quos autem mortuos caput capere, aut ad » mortem et servitutem, sed quomodo aliqui redi- » mere studens captivos de manu hostium, qui ce- » perunt eos. » S. Justinus legit: *Ad vitam capiens*, unde S. Petrus de Verbo Dei loquens, illud verbum vite æternæ appellavit, *Jou.*, vi, 69: *Verbo vite æternæ habes*, aut vero si locutio *hominem capiens* insinmare vellet, quod illos capturus sit ad mortem, id intelligendum est de morte quoad vitia, culpam, aut quoad vitam antea licentiosam et dissolutam.

7. — S. Antonius Paduanus, *Serm. in Dom. III post Trin.*, notat, quod Salvator illa verba in singulari numero soli Petro dixerit: « Hoc specialiter ad » ipsum Petrum pertinet, quasi diceret: Ex hoc » quia fuisti humilis, vite tuæ maculas erubescens, » confessionem verecundia non reprimens, sed de- » lecto vultu remedium querens, eris homines ca- » piens. » Multi quidem et alii mediante prædicatione et confessione sacramentali animas ad vitam æternam piscaturi erant, sed dependenter a Petro: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur.*

8. — Hugo Cardinalis notat Christum dixisse: *Eris homines capiens*. « Non aurum, non argentum, » « non præbendas, non laudes hominum. » *II Cor.*, xii, 14: *Non quero quæ vestra sunt, sed vos*; citatque Venerabilem Bedam dicentem: « Nondum in Apo- » stolatum eligitur, sed prædicatur, quod aliquando » sit eligendus. »

Additiones.

a. — *Noli timere; ex hoc jam homines eris capiens.*

Benignissimus Deus, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia est, ingenio horum piscatorum se accommodans, ad altissimum prædicationis fastigium vocat, et sua inclinatione trahit, condescendens hominibus, ut ait D. Chrysostomus. Et sicut Magos per sidus vocavit, sic et piscatores per piscatoriam artem. Quia ergo assuetus es piscationi, o Petre, ne tibi grave sit novam artem ediscere, piscabere quidem adhuc, sed pro piscibus homines capies; qua methodo Prædicatores informat non scientiæ suæ profunditatem jactare, sed suis sese auditoribus congruenter accommodare.

Tametsi S. Paulus in Paradisum evehctus *audiverit arcana verba*, ibidemque expeditum in ærarium illud habuerit aditum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei; denique licet superhumanam quadam et infusa locupletatus fuerit sapientia, nihilominus protestatur dicens, *I Cor.*, ii, 1: *Cum venissem ad vos, fratres, veni non in subtilitate sermonis, aut sapientiæ, amnuntians vobis testimonium Christi.* Licet inquam de ineffabilibus et altissimis increata Sapientiæ mysteriis edoctus de celo descendidit, quia tamen sciebat se in hac terra prædicaturum esse, eorum quos instructurus et catechizaturus erat, ignorantia et incapacitati accommodare se voluit. Et ideo merito ipsi gloriosus hic titulus adscribitur, quo *dux verbi* appellatur, et Ecclesia mundi conversionem ipsi potissimum adscribit, idque ex ea præcipue ratione, quia auditorum capacitati accommodare se novit, ipsomet dicente: *Factus sum infirmus infirmis, ut infirmis lucrifecerem. Omnibus omnia factus, ut omnes fuero salvos.* *II Cor.*, ix, 22. Et alio in loco dicit: *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis.*

b. — In textu Græco hoc verbum capiens singularem energiam habet, significat enim *vivos capiens*. Et ita legit S. Justinus Martyr: *Eris homines ad vitam capiens*. Non dubium qui alios in vitam capit, et sibi vitam acquisivisse; at quo medio? Timore. Timuit Petrus et timuit Christum Deum, et inde audit: *Et te et alios in vitam capies*. Salubris itaque illi Dei timor, qui origo et initium salutis æternæ est. D. Chrysostomus, *Hom. LV in Gen.*, considerando super quas animas Spiritus Sanctus diffundat gratiarum suarum dona hunc instituit discursum: « *Super quem utrum respiciam quam super mansuetum, et quietum, et tementem sermones meos?* » Vidisti quomodo nos docuit omnes colores quibus animæ pulchritudo potest decorari? *Super mansuetum, inquit, et quietum, et humilem.* Deinde quod hæc omnia efficit addidit, *tementem sermones meos*. Quid est, *tementem sermones meos*? Obedientiam operibus implementem, quod et alibi dicit: *Beatus qui timet omnia propter pietatem.* Nam si nos qui videmus famulam, qui man-

« data nostra cum diligentia timoreque curat, »
« majorem erga eum declaramus benevolentiam: »
« multo magis bonus Dominus propter hoc dice- »
« bat: *Super illum respiciam, qui tremat sermones »* »
« meos. »

VERSUS 11.

Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

1. — Theophylactus ait: « Admiremini Domini » dispensationem, quomodo per propria et familia- » ria sua quemque attrahit, sicut Magos per stellam, » ita et piscatores per pisces. »

2. — Dionysius Carthusianus hosce Apostolos trina vice ad Christi sequelam vocatos fuisse dicit: « Triplex fuit Apostolorum istorum vocatio; una et » prima ad solam Christi familiaritatem; tertia ad » Apostolatam. »

3. — S. Bonaventura, *Serm. IV*, ad illa verba, *relictis omnibus*, se reflectens dicit: « Christi doctrina » ab altitudine paupertatis sumpsit exordium, et » Evangelicæ perfectionis primum fundamentum » securitate paupertatis firmiter collocatur. »

4. — Chrysostomus fidem et obedientiam horum discipulorum admiratur, dum ait: « Habentes enim » opus præ manibus appetibilis piscationis, cum » audissent mandantem, non distulerunt, sed relin- » tis omnibus, sequebantur; talem enim obedi- » tiam requirit a nobis Christus, ut eam non præ- » termittamus, etiãmsi aliquid valde necessarium » urgeat. »

5. — Dionysius Carthusianus ait: « *Relictis » omnibus*, quæ ibi habebant, videlicet navibus et » navium instrumentis, captisque piscibus; vel » *relictis omnibus* hominibus, qui ibi tunc ade- » rant; » qua in re utilissimum illis dederunt documentum, qui se Deo volunt consecrare; si enim id vere et stabiliter facere intendant, non solum illis mala vita præterita deserenda est, verum etiam omnes illam denno repelendi occasiones et relinquenda sunt prava consortia, ludi, conversationes, submovendi sunt omnes libri profani, omnes litteræ amatorie, munuscula aut effigies amasarum et quidquid suscitare in nobis potest peccatorum præ-

teritorum reminiscantiam. Circa illa verba: *Relictis omnibus*, S. Thomas, *Serm. II in hac Dom.*, ita scribit: « Duo sunt nobis necessaria ad sequendum: »
« Primo, ut a bono commutabiliter avertatur, ipsum »
« despiciendo. Secundo, ut ad bonum incommuta- »
« bile convertatur, ipsum diligendo et imitando. »
« Quatuor debemus relinquere: mundana con- »
« temnendo; consanguineos propter Deum relin- »
« quendo; corpus mortificando; voluntatem pro- »
« priam abnegando. In quatuor oportet imitari »
« Christum: in humilitate: *Discite a me quia mitis »* »
« *sum et humilis corde*; in pietate: *Estote misericor- »* »
« *des, sicut et Pater vester misericors est*; in chari- »
« late: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invi- »* »
« *cem*; in tribulationum asperitate. *I Pet.*, ii, 21: »
« *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens »* »
« *exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* »

Additio.

a. — *Relictis omnibus secuti sunt eum*. Qui sola reliquerunt retia eaque lacera, non retia, sed omnia reliquisse dicuntur, quia non possessionis aut desertionis, sed affectus habetur ratio. Solo enim divitiarum desiderio et cupiditate, non vero earum possessione vitiosi efficiuntur. Propheta Regius qui post lapsum immaculatam vitam duxit, licet ex thesauris, quos pro ædificando templo congregaverat simul esset opulentissimus et potentissimus, hæc nobis sententiam relinquit, *Psal.* lxi, 11: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*, ut ostenderit quod ii quibus Deus in hac vita magnam in bonis fortunæ abundantiam donavit, divites simul et Deo accepti esse possint, cum hæc tamen conditione: *Nolite cor apponere*. Ubi Laurentius Justinianus ait: « Non dixit: Nolite habere, sed: *Nolite cor »* »
« *apponere*. Non damnat divitias, unde celum »
« homo meretur, sed ut cor non apponatur. »
Unde S. Thomas Aquinas avaritiam hæc terminis definivit: « Avaritia quasi aeris aviditas, definitur »
« esse immoderatus amor habendi. » Non enim divitiarum possessio condemnatur, sed immoderatus in earum acquisitione et conservatione affectus et cupiditas.

DOMINICA QUINTA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. V, VERS. 20

20. Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum celorum.

21. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit iudicio.

22. Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; qui autem

dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio; qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennae ignis.

23. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offers munus tuum.

VERSUS 20.

Dico enim vobis, quia nisi abundaverit iustitia vestra plus quam Scribarum et Phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum.

Nisi abundaverit.

1. — Cajetanus verbum illud *abundaverit*, considerans, ita scribit: « Dicendo *abundaverit*, aperte monstrat a iustitia nostra comprehendi iustitiam « Phariseorum et aliquid addere ultra illam. » Divus Chrysostomus, *Dom. xvi in Matth.*, Salvatore hoc loco non de illis Scribis et Phariseis, qui perversi erant, sed de illis, qui legis observantissimi erant locutum fuisse existimat: « Non iniquos appellat, sed eos qui legis praecepta custodiunt; » cuius efficacem et omnino convincentem subneclit rationem: « Neque enim illos, qui non custodirent « diceret habere iustitiam. » Eandem quoque observationem Jansenius habet, dum ait: « Notandum non comparari iustitiam nostram, cum « hyperis Phariseorum et Scribarum, aut quovis « alio eorum vitio, sed cum eorum iustitia, hoc « est, virtute et aequitate, quam ex aliqua parte « habebant. »

2. — S. Thomas quoque, *in Matth.*, verbum illud, *abundaverit*, ponderans, illud motum et appetitum interiorum animae nostrae mortificationem denotare scribit: « Abundans autem iustitia « est, ordinans omnem motum animae. » Juxta quam expositionem, Salvator noster dicere vult quod ad comparandum perfectionem et virtutes, Christiano homini et nomini convenientes, rigores vitae et austeritates corporales nequaquam sufficient, ideoque omnium loco passiones et inordinati animi passiones et appetitus studioso reprimi debeant. Unde tritum est in vita spirituali axioma: « Tantum proficies quantum tibi vim intuleris. »

Iustitia.

3. — Sciendum porro est quod, ut D. Chrysostomus notat, lex Mosaeica non ideo ad animas in caelum introducendas insufficientis fuerit, quia illa in semetipsa mala esset, sed quia *perfectiorum utique mandatorum tempus advenerat.*

4. — Dionysius Carthusianus in ea est opinione quod discursus ille solum ad Apostolos et Praelatos directus fuerit: « Ad eos, qui ex speciali vocatione, « professione seu gradu ad perfectionem tenentur, ideo eorum non est circa communia languere, « quia nec sufficit eis, sed oportet ut vitam aliorum alta puritate transcendant, » Jansenius vero

contra optimis rationibus, Salvatore hinc verbis universum populum Christianum docere voluisse probat: « Rectius haec sententia intelligitur dicta « toti populo et omnibus Christianis. »

5. — Porro cur in nobis major virtus et perfectio esse debeat quam in illo populo, hujus divus Chrysostomus hanc reddit rationem: « Quia et « ampliora sunt praemia et eminentior Sancti « Spiritus gratia, consequenter requiruntur etiam « majora certamina. » Nobis non promittitur, sicut illis terra lacte et melle manans, non longa vita, nec prospicia numerosa, non frumenti et vini, gregum item et armentorum copia, sed totum, quantum est caelorum regnum, nobis promittitur. Adhaec nos Christiani majus penes Christum debitum contraximus; nondum enim Salvator noster, dum haec verba protulit, sumum etiamnum sanguinem fuderat, quemadmodum deinceps ab ipso pro nostra redemptione factum fuit. Quod si olim Hebraeos manna pavit, nunc nos sacratissimo suo corpore sacramentaliter nutrit; quod si illis aquam et siliice manare fecit, nobis et venis suis sacratissimum sanguinem suum et e latere aquam, quae sanctissima fuere Sacramenta, felici scaturigine propinavit. Illos a Pharaonis tyrannide et ab Aegyptiaca redemit servitute, nos vero a barathro inferni et jugo Salanae, ac proinde consequens est, ut quanto a Salvatore nostro majora beneficia recepimus, tanto quoque majori gratitudine eidem respondeamus.

6. — Idem quoque D. Chrysostomus, quidnam per hoc nomen *iustitiae* intelligatur, his verbis declarat, dum ait: « Hic per iustitiam, universam « dicit profecto virtutem. »

7. — S. Antonius de Padua, *Serm. in Dom. VI post. Tr.*, ei, qui in hac iustitia exercere se voluerit, sequentia adimplenda esse scribit: « Quinquagene « tur exhibere: Deo honorem, sibi ipsi cautelam, « proximo dilectionem, mundo contemptum, peccatis odium. »

8. — Hugo Cardinalis ait: « Dedit in nobis « abundare virtus et gratia, in tantum ut omnia « obstacula diaboli dirumpat. »

Plus quam Scribarum et Phariseorum.

9. — Horum qualitatem Lucas Brugensis ita describit, dum ait: « Scribas Salvator hic nominat, « quia Doctores illi erant legis; Phariseos, qui praeter ceteris legis erant observantes usque ad minutissimam quaeque. »

10. — Christus in variis sacri Evangelii locis Scribarum et Phariseorum hypocrisim, invidiam,

et malignitatem illorum reprehendit, quia ut Hugo Cardinalis ait: *Habebant exteriori speciem pietatis, veritatem eius obnegantes.* S. Thomas haec verba exponens, horum defectus delegit, dicens: « Quia, « primo, iustitia horum erat in presumptione suae « actionis, et in iudicio alterius; » addiditque Pharisei illius exemplum, qui in templo in conspectu omnium, sese de bonis operibus suis jactabat. « Secundo, quia erat in ostensione operis, non « in rectitudine intentionis. Tertio, quia erat in « lotione, et exteriori munditia, non in opere. « Quarto, in afflictione corporis per jejunia, et non « in mandatorum observatione. Quinto, quia erat « in minoribus observantiis, relictis gravioribus « legis; » in sequenti vero capite multa alia ipsorum vita exponit, susoque ne illos imitentur, Salvator hortatur dicens: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.*

11. — Cajetanus inquit: « Iustitiam majorem « vocat, tum iustitiam non solum exteriorem operum, sed interiorum affectionum. » Scribae enim et Pharisei omnem virtutem et perfectionem suam in exterioribus constituebant, et negligebant interiora, sic etenim Phariseus ille jejunabat, dabat decimas, templum frequentabat, vacabat orationibus, etc., interiori vero in corde suo superbus, elatus, et arrogans erat, de proximis suis temere judicabat, eosque contemnebat: « Judaei enim credebant, » inquit Lyranus, « per praecepta Decalogi « sola exteriora prohiberi, non motum animi, » Idem quoque S. Antonius de Padua scribit, dum ait: « Phariseorum fuit, ut manus, non animus « cohiberetur; unde credebant peccatum non esse « in cogitatione, sed tantum in operatione; » quem proinde errorem Christus in hujus Evangelii decursu condemnat. S. Thomas ait: « Hoc dicitur discipulis, « et per consequens omnibus, et extendendum est « non solum ad exteriorum motum, sed etiam ad « animi exhibitionem. » B. Humbertus pariter ita scribit: « Phariseorum ac Scribarum iustitia erat « tantum a malo opere abstinere, voluit Dominus « in hoc suorum iustitias superabundare, ut non « solum ab opere, sed insuper a cogitatione satageant revocare. »

12. — Fuit et alius eorundem error a Christo manifestatus, quia scilicet valde se exhibebant zelosos in reprehendis aliorum, etiam Apostolorum transgressionibus levibus, videlicet quod manus non lavent, dum panem manducant; quibus tamen Christus respondit, *Mat., xv, 2: Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* In quibus proinde adimpletum est, quod alibi Christus in S. Matthaeo, *xxiii, 24*, dixit, scilicet, quod sint *excolentes calcem, cinetum autem glutientes*; superstitiosos enim majorum suorum traditiones, in propria inventionem fundatas, plaris aestimabant, observantique, quam a Deo scriptae, et

a Moysae promulgatae, et per universalem acceptationem stabilitae legis praecepta.

13. — Hugo Cardinalis causam, cur Scribae et Pharisei nullam haberent acumen interiorum rationem, his verbis adducit: « In lege enim non « indigebatur poena pro peccato animi, et ideo non « cohibebat animum; lator ejus poena non fuit, « non potens videre corda, lator vero Evangelii, « Christus, corda videt; et ideo punit utraque « peccata, cordis scilicet et operis; debet autem « iustitia nostra in duobus abundare a Scribis et « Phariseis, scilicet in omnium praeceptorum exteriorum observatione, et in interiorum, quorum « neutrum faciebant; » illa enim praeccepta solum observabant, in quae majorem habebant, ob interesse majus inde proveniens, inclinationem; sed turpiter errabant, quia ut David attestatur, *Psal. cxviii, 6: Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.*

14. — Idemmet Hugo inquit: « Signa exteriora « amplectantur, unde in materialis templi edificatione et ornata, tota eorum intentio consistebat, quod non fuit nisi signum et pictura veri « templi Dei, scilicet fidelis animae de cuius ornatu « non curabant; erant ergo similes alicui imaginem Crucifixi honoranti, ipsum vero corpus Dominicum conculcanti. »

15. — Porro lex vetus in exigendis a legis transgressoribus poenis valde rigorosa erat, *Exod., xxi, 24: Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione.* Ab hoc autem rigore lex nova totaliter remisit; unde quando duo illi fratres ad confligendos igne Samaritanos illos, qui Magistrum ipsorum injuriis affecerant, ignem evocare volebant, *Luc., ix, 55: Dominus ad eos conversus increpavit illos, dicens: Nescitis, cujus spiritus estis; Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Et quidem qualisnam fidelium novae legis gratiae spiritus sit, quae singularis exigit, in hoc capite, *vers. 39*, luculentius insinuat, dum ait: *Audistis, quia dictum est: Oculum pro oculo, dentem pro dente; ego autem dico vobis: Noli resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebere illi et alteram, et ei qui vult tecum iudicio contendere, et tunica tuam tollere, dimitte ei et pallium.* Samaritanus ille, qui typos Christi erat, in vulnera miserabilis illius, qui genus humanum a Christo sanatum praefigurabat, oleum pariter et vinum infudit, volens per hoc alludere et insinuare, quod lex Evangelica simul inter se conjunctum habeat rigoris et mansuetudinis spiritum.

16. — S. Gregorius dicit: « Quid est, plus quam « Scribarum et Phariseorum? Iustitia Phariseorum « est, dicere, et non facere. Abundat iustitia vestra « super Scribarum et Phariseorum, ut et bona « dicatis, et bene vivatis, » Lyranus super haec

verba : *Nisi abundaverit, etc.*, pariter scribit sensum esse, « quasi dicat, ad salutem non sufficit « bona doctrina, nisi adsit bona vita. »

17. — Dionysius Carthusianus doctrinam quidem in Scribis laudat, non vero eorum opera utpote doctrinae minime correspondentia : « Veraciter « docuerunt sed opera non responderunt doc- « trinae; » atque ideo non salvantur, quia *non audito- res legis justi sunt, sed factores justificabuntur.* Rom., II, 13.

18. — Magnam quoque considerationem dicitio illa, *vestra*, meretur; per hanc enim Salvator noster nobis innuere intendit perfectionem et sanctitatem fidelium suorum in lege Evangelica propria esse dehere et intrinsecam, non vero ab aliis emendicam et ideo dicit : *Justitia vestra*, quia Scribae et Pharisei, ad se et animas suas salvandas, nimiam habebant in Patriarcharum suorum meritis confidentiam, propria negligendo, Luc., III, 9 : *Patrem habentem Abraham; semen Abraham sumus; et ideo Christus illis aliquando dixit, Joan., VII, 39 : Si filii Abraham estis, opera Abraham facite.*

Non intrabitis in regnum caelorum.

19. — Id est, ut Hugo ait, in *Ecclesiis triumphantem*; atque ideo ex poena ad majorem perfectionem non contentibus imposita, quanti momenti preceptum seu monitum illud sit, facile colligitur. Albertus Magnus ait : « Intrare est conti- « nis profectibus proficisci; et ideo intrat, qui per « minimorum observantiam continue proficiscitur « ad profectum. »

Additiones.

a. — Dico vobis quia nisi abundaverit justitia vestra, plus quam Scribarum et Phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum. Dixerat aliquando Dominus se non venire ad solvendam legem, sed ad implendam, et ita intendit, ut sui sint legis observatores exactissimi, et non solum vult ut ipsam impleant eo modo, quo Scribae et Pharisei, sed ut legis observatione abundant et excellent. Et ad hoc eos exhortatus est, primo, suo exemplo : *Non veni solvere legem sed adimplere.* Et quidem bene, si enim boni illius quod persuadere volumus, aliquid in nobis praemittamus exemplum, auditori illud facilius persuadere poterimus. S. Bernardus, *Serm. LIX in Cant.*, verba illa Cantiorum : *Vox turturis nescita est in terra nostra*, presenti proposito hunc in modum adaptat : « Illius Doctoris libenter audio « vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planetum « moveat. Vere turturem exhibes si gemere doceas « et si persuadere vis, gemendo id magis quam « declamando, studeas oportebit. Exemplum sane « tunc in aliis multis, tam vel maxime hoc in « negotio, verbo efficacius est. Dabis voci tuae « vocem virtutis, si quod suades, prius illud tibi

« cognoveris persuasisse. Validior operis quam « oris vox. Fac ut loqueris et non solum me facilius « emendas, sed te quoque non levi liberis scabro, « non jam penitebit, ad te si quis dicat : *Alligat « onera gravia et importabilia, et imponunt ea in « humeros hominum, digito autem suo voluit ea « movere.* Sed neque illud veretur oportet : *Tu qui « alios doces, teipsum non doces.* » S. Ambrosius, *lib. II de Virg.*, rationem assignat, cur exempla verbis majoris sint efficaciae : « Quoniam, » inquit, « nos infirmi ad monendum sumus et impares ad « docendum, exemplis plus quam preceptis putavi- « mus imbuendam, licet amplius proficiatur exem- « plo, quoniam nec difficile quod jam factum, « aestimatur et utile quod probatum. »

Dominus exhortatus est discipulos suos, secundo, magno proposito praemio : *Qui fecerit et locaverit magnum erit. Tertio*, nunc adhibita poena : *Non intrabitis in regno caelorum; qui enim nec exemplis moventur, nec alliciuntur favoribus, saepe penes trahuntur.* Et haec est causa cur Deus nobis infernum comminetur, ne in illum corruamus. Quis enim de caelo cogitaret, aut quis in hac praesenti vita a peccatis abstinere, et per virtutem contenderet, si infernum non timeret? Imo ut D. Chrysostomus ait : « Si minis gehennae non essemus « territi, omnes forte in gehennam praecipitare- « mur. » Major enim pars hominum libenter omni juri ad Paradisum caelestem renuntiaret, ut delictis in hac vita sibi frui liceret, nisi supplicia infernalis sempiterna timeret. Idem D. Chrysostomus, *Hom. II in Epis. II ad Thess.*, ita scribit : « Nullus ex his qui « gehennam despiciunt, effugit gehennam. » Et in *Homilia XV ad pop. Antioch.*, pariter inquit : « Quid « gehenna gravius? Sed hujus metu nil utilius. « Gehennae namque timor nobis affert coronam. »

b. — Justitia Phariseorum ad regnum caelorum plane erat insufficientis, quia docebant et non faciebant, aut si aliquid faciebant, per hoc tantum auram conabantur captare popularem. Veri hypocrite, qui indigni sunt caelo, utpote ad ignem infernale destinati.

c. — S. Thomas, in *Matth.*, hic declarat quae et qualis fuerit justitia Phariseorum et cur a Domino caelo indigna iudicata. Justitia Phariseorum ac Scribarum erat in presumptione actionis suae, et in temerario de alterius actione iudicio; ac prout indigna caelo, quia iudicium temerarium charitati opponitur, derivatur a malignitate iudicantis, estque pecies detractiois, et contemptum proximi includit. Cum enim lex Evangelica basi charitatis innitatur, juxta illud : *Plenitudo legis est dilectio*, necessario consequitur, quod iudicium temerarium dilectionis, tam Dei quam proximi, directe opponatur, cum indubitata sit illa Ecclesiae, ab Apostolo dictata, veritas : *Charitas non cogitat malum.* Unde B. Dorotheus in quodam sermone de hac materia fusi-

disserens, causam cur adeo ad temere iudicandum de proximis faciles simus, charitatis defectum esse, his verbis dicit : « Unde autem isthaec patimur, nisi « ex eo, quod charitate vacamus? Nulla enim vel « admodum tenuis et exigua inest nobis charitas; « nam charitas non cogitat malum, omnia suffert « ac tolerat, omnia credit. » S. Bonaventura de hoc vitio ita scribit : « Occulta pestis est, sed gravis- « sima, quae Deum fugat, et fratrem lacerat « charitatem. »

Justitia Phariseorum, secundo, erat in ostensione operis, non vero rectitudine intentionis, cum tamen opera caeteroquin bona, si mala cum intentione fiant, in cassum cedant. Legitur apud S. Lucam, XI, 34 : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum.* « Id est, » ut Didacus Stella explicat, « omnes operationes simul aggregatae male erunt, cum non habeant bonitatem « completam, nisi ex intentione; quia dato quod « alias operatio sit bona ex genere suo, si intentio « non est bona, non adhuc erit perfecta talis operis « ratio, nec meritoria. » Diu autem ante hunc auctorem, S. Bonaventura in haec verba scripsit : « Cum obtenebratur intentio et deformatur, obtenebratur et deformatur opus; unde in Glossa « dicitur : Semper perversa intentio praecessit pra- « vum opus, etiamsi iustum videatur. »

d. — Nolenter Christus Dominus dixit discipulis suis : *Justitia vestra debet abundare, ut introitis in regnum caelorum.* In quo maxime pungit Scribas et Phariseos qui multis nequitias, ac peccatis viventes, maxime confidebant in Patre suo Abrahamo, a quo descendebant, potius alienis meritis confitentibus quam propriis; condemnat autem hoc Christus, dum inquit : *Justitia vestra*, quasi diceret, non alienis meritis, majorum confidendum est, ut introitis in regnum caelorum, sed propriis operibus. Discant hic Christiani merito eos perstringi, qui Christi quidem nomine gaudent, dum Christiani vocantur, sed inaniter et sine fructu honorum operum. S. Bernardus Senensis S. Augustinum citat, qui in libro, quem de vita Christiana composuit, ita discurret : « Quis adeo vanus est et stolidus, « qui cum ignorans sit, ne legere possit, advocati « nomen et munus sibi vendicare presumat? Quis « adeo temerarius et insipiens erit, ut militem se « esse gloriatur, cum arma gerere et tractare « nesciat? Nullus enim nomen aliquid sibi vendi- « cat, cui per artem et professionem nominis « correspondere nequit. Ut quis sutor appelletur, « artem calceos faciendi, ut sciat, necessum est. « Sic quoque nullus sibi fabri ferrarii, vel aurificis « nomen assumit, nisi utriusque artis peritiam « habeat. » Unde S. Augustinus et S. Bernardus unanimiter in haec verba concludunt : « Talibus « exemplis agnoscimus, nullum nomen sine actu,

« sed omne nomen ex actu causari. Ergo tu quo- « modo Christianus diceris, in quo nullus Christianus « actus appareat? Multis utique in gremio Ecclesiae impie viventibus, et tamen Christiano nomine insignatis, adaptari potest quod S. Paulus ad Romanos, IX, 6, scribit : *Non omnes qui ex Israel sunt, hi sunt Israelitae, nec qui semen Abraham sunt, omnes filii.* Unde S. Augustinus quemdam perditae vitae hominem, qui se Christianum esse jactabat, his verbis perstringit : « Quomodo te gloriaris esse Christia- « num? Nomen habes et facta non habes. Si autem « nomen secutum fuerit opus, dicat te quisquam « paganum, tu factis ostende te Christianum. Nam « si factis non ostendis te Christianum, omnes te « Christianum vocent; quid prodest tibi nomen, « ubi res non invenitur? »

e. — Sacrosantum hujus Evangelii principium, maximum terrorem et admirationem injicit. Valde enim horribile est Deum nobis aperte dicere, nos, si justitia nostra in virtute aliores radices et meliores quam Phariseorum, non egerit, nequaquam in regnum caelorum intraturos. Numquid, Domine, illi non jejunabant? Ita profecto et aliqui eorum bis in sabbato. Nonne elemosinas erogabant, nonne orabant? Et quidem assidue. Quomodo ergo Christianorum justitia horum superare poterit, in quo cum multi sint Christiani, qui similia opera haud praestent? Justitia Phariseorum erat nimis rigorosa, severa, seu impatiens et vindicativa, uti *Matth.*, V, 38 : *Oculus pro oculo, dentem pro dente*, exigebat. Item quando Magdalenam peccatricem ad se appropinquantem admittit Dominus, stomachatur mox Phariseus, dicens : *Hic si esset Propheta, sciret utique quae et qualis est mulier, quae tangit eum, quia peccatrix est.* At justitia discipulorum, Christianorum et maxime Ecclesiae Praesulum in hoc surabundet, ut sit admixta misericordia et patientia in tolerandis aliorum defectibus. Haec enim nostrae christianitatis summa est ut ledentibus patientiam rependamus. « Qui ergo fuerit patientior ad injuriam, potentior constituetur in regno, » ait S. Maximus. Et ideo patientia est quidam character Christiani hominis, per quem ab aliis hominibus distinguitur, et per eam ad verae fidei agnitionem devenitur.

S. Apostolus, *Philip.*, I, 29, indicat Deum simul cum dono vocationis ad veram fidem, aliud quoque donum eidem adjuvxisse, scilicet pro amore sui patienti; hoc enim dicit : *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patientiamini.* Et merito quidem utrumque hoc donum simul conjunctum fuit in illis, qui specialis Christiani character patientia est. Ideo S. Paulus in sua Epistola ad Thessalonicenses, eosdem monet, inquiens : *Nemo moveatur in tribulationibus istis.* At vero quomobrem illos in tribulationibus suis adeo constantes et patientes esse volebat? Causam

hanc subdit Apostolus, dicens : *Ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus* : quasi dicere vellet : In hoc enim vocatio nostra consistit, ut videlicet patiamur et in patientia nos exerceamus. Hanc quoque ob causam, magnus ille Episcopus Massiliensis Salvianus dicebat : « Quid enim mirum, si mala « cuncta perferimus qui ad toleranda universa « militamus. »

S. Petrus qui primum Catechizavit christianissimum, in Epistola sua prima vocationis nostrae exigentiam declarat inquitens : *In hoc enim vocati estis, quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

f. — Apostoli fuerunt in justitia et sanctitate multo illustriores Prophetis. Ergo in majorem eorum gloriam cederet et laudem, si Dominus diceret : Abundat justitia vestra plus quam Prophetarum. Verum Dominus noster Jesus hic agebat de justitia necessaria ad ingressum regni caelorum. Justitia autem Prophetarum, qui fuerant viri sanctitate celebres et conspicui, ad caelestem patriam possidendam sufficientissima extitit. At Phariseorum Scribarumque justitia, utpote multis erroribus plena, omnino erat insufficientis; et ideo horum justitia apparens tantum in oculis hominum erat emendanda, ut ad glorie thronum haberet accessum. Itane ergo veniales errores ab ingressu in regnum celorum retardant, nisi emendantur? Ita sane. Peccata enim venialia animam a prompta consecutione glorie impediunt, efficiuntque ut notabili temporis spatio in Purgatorio detineatur. Gravis ergo ob poenam damni et sensus venialis culpa est.

Isaias, lxx, 3, ait : *Iniquitates vestrae dividerunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis.* Cujus hanc reddidit rationem : *Manus enim vestrae pollutae sunt sanguine, et digiti vestri iniquitate.* Sed numquid sufficiebat Prophetae mentionem se fecisse de manibus, in quibus simul sunt digiti? Cur igitur insuper de digitis specialiter meminuit? Oleaster latens in hoc aperit mysterium, inquitens : « Opera vestra, tam majora, que per « manus intelliguntur, quam minor, que per « digitos, immunda sunt. » Et quidem licet haec maculae non semper faciem Dei nobis abscondant, visionemque beatificam adimant; attamen tales sunt que nonnunquam spatio annorum, aut saeculorum Purgatorio cum acerbissimorum dolorum tolerantia nobis prolongant.

Omnes sacri Doctores in eo consentiunt, quod poena damni in inferno sit major poena sensus. In Purgatorio autem culpa venialis subiacet poenae sensus que similis est illi, que in inferno cruciatur; et insuper ad tempus poenam damni subire cogitur, siquidem anima a consecutione glorie, usque dum expiata fuerit, retardatur.

g. — Terribilis est haec sententia : *Nisi abunda-*

verit justitia vestra plus quam Scribarum et Phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum. Scribae enim et Pharisei prae caeteris Judaeis sanctiores habebantur, erantque inter Judaeos eo loco, et honore quo sunt inter nos religiosi. In cibo et vestitu parci erant, vitabant luxum ac voluptatem, jejunabant feris secundis et quintis, diligenter solvebant decimas, dabant elemosynas, assidui erant in orationibus, dure cubabant, et ne somno nimium indulgerent, spinas aut lapillos capiti substernebant, vel in angusto asserere se locabant, ut si quis dormisset profundius, in pavimento decideret et rursum excitaretur ad orationem, ut scribit Epiphanius, *Hæres.*, xvi. Et his omnibus tamen contentus non est Christus, sed plus adhuc exigit in Christianis. Ecce non est Christus contentus in Christianis, hac fœceta Phariseorum justitia, quia tota erat in exteriori rigore. Non enim, externus fœcus tantum, ut ait Isidorus Peliusiota, *Epist.* lxxviii, sufficit ad regnum Dei; nam perfecta justitia usque ad intimas cogitationes et interna penetrat; nec rigor exterior sine animæ mortificatione interiore subsistit. Apostolus qui suum generose maetabat corpus; *1 Cor.*, ix, 27 : *Castigo corpus meum, et in servitum redigo*, aliquando ad Galatas, v, 24, scribens, sequaces Christi non modo exteriori corporis austeritate et mortificatione appetibunda, sed etiam irrefrenatis cordis appetitibus et concupiscentiis eradicandis, insudare debere, his insinuat verbis : *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt.* Sed quomodo? certe non quomodo cumque, sed *cum vitis et concupiscentiis.* Dum populus Hebraeus terræ promissionis suam esset illaturus pedem, magno illi capitaneo Josue coelitus hoc datum fuit præceptum : *Fac tibi cultros lapideos, et circumcide secundo filios Israel.* Quod ad sensum spectat spiritualem, per circumcisionem istam secundam, interior intelligitur mortificatio. Nam exteriori, scilicet austeritati corporali, spiritualis adjungenda est voluntatis, intellectus, omniumque aliorum effrenam affectum et appetitum mortificatio, dicente Apostolo : *Circumcisio cordis in spiritu.* Ubi S. Bonaventura ita scribit : « Circumcisio debemus ab iniqua cogitatione et voluntate; « hæc est enim præputium cordis. » Ideoque idem Auctor quatuor distinguit circumcisionis species, inquitens : « Prima circumcisio est in corde, secunda « in ore, tertia in aure, quarta in opere fit. »

h. — Non placebat sapientissimo justitiae Christianae Doctore, pharisaica hæc justitia, quia erat nimis rigorosa et severa, non tantum in quantum erat graviorum excessuum punitiva, sed etiam quantum spectabat proprias corporales austeritates, quibus ad exteriorem tantum speciem utebantur, nulla habita discretionem. Ille enim austeritates, ut Deo placeant, virtute discretionis moderari debent. Accepimus a Deo nobilissimam animam ad ejus

imaginem creatam; accepimus simul cum illa et corpus, ita tamen ut hoc velut mancipium animæ subijciatur. Nos vero permissimus ut servile hoc corpus anima prædominetur et prevaleat, idque cum utriusque irreparabile damno. D. Chrysostomus examinans verba illa S. Pauli : *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus*, ita in homilia quadam scribit : « Hoc est ne ad illam defera- « mus vitæ nostræ dominium. Illam enim necesse « est sequi, non preire. *Si enim secundum carnem « vixeritis moriemini*, inquit Apostolus, illam nobis « innuens mortem immortalem in gehenna, videli- « cet poenam ac supplicium. » Salmeron super illa eadem verba Apostoli, ita scribit : « Adjunxit hæc « verba magna cum prudentia, quia aliqua ratione « debitorum sumus, scilicet quantum exigit naturæ « necessitas, eam cibi, potu, vestitu, somnoque « sustentemus, et dum infirma est, etiam medica- « mento confirmemus, et quæ sunt hujusmodi, ne- « quaquam illi subtrahamus. Nam si alienorum « corporum curam negligere non debemus, juxta « illud Isaiæ : *Et cornem tuam ne despereris*, « multo magis corporis nostri cura contemnenda « non est. Negat nos esse debitores carni, sed hæc « ratione, *ut secundum carnem vivamus.* Vivere « enim secundum carnem est imperio, et legibus, « et carnis desideriis subesse, illisque in omnibus « obtemperare. Et ideo dum dicit, *cap. xiii : Carnis « curam ne feceritis, in desideris adjungit.* »

i. — *Intrare in regnum*, secundum Chrysostomum, Augustinum, Hieronymum, et alios, idem est ac esse in regno. Cur ergo hac locutione non est usus Dominus? Ad quod respondet Albertus Magnus : « Esse vel non esse in regno est secundum « meritum vel demeritum stans quietum. Intrare « autem est continuus profectus proficisci. Et ideo « intrat qui per minorum profectis proficisci. Et ideo « proficit ad perfectum. » Justus et qui ad vitam vult ingredi nunquam se debet considerare, quamdiu est in hac vita, velut in termino, sed semper debet ulterius continuus virtutum gressibus progredi; veluti qui intrat, non sistit, sed ad aliam partem tendit, ita qui ad caelum properat, minime quiescat, sed semper ad majorem virtutum apicem dirigit animam.

VERSUS 21.

Audistis, quia dictum est antiquis : Non occides ; qui autem occiderit, reus erit judicio.

Dictum est antiquis.

1. — Id est, inquit Cajetanus, « Patribus in « Sinai, » *Exod.*, xx. Lucas Brugensis ita exponit : « Priscis Patribus, qui legem ipsam per Moysen a « Deo acceperunt; vel : *Audistis docentes Scribas,* « ita docti estis. »

Non occides.

2. — « Subjunge, » inquit Cajetanus, « privata « auctoritate, nam publica potestate licitum est « occidere hominem, qui suo crimine meretur « exterminari a presenti vita. » Talis autem homicida, iudicii reus, constituitur, id est, meretur ut in justitia tribunali processus contra ipsum instituat.

3. — Hugo Cardinalis in hæc verba scribens, varia distinguit homicidiorum genera. « Nota, » « quod est homicidium voluntatis et odii, *1 Joan.*, « ii, 15 : *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* « Item oris; quidam enim interficiunt in ore gladii. « *Prov.*, v, 4 : *Lingua eorum quasi gladius bipes.* « *Prov.*, xxx, 14 : *Est generatio quæ pro dentibus « gladios habet.* Item operis; ut qui faciunt aliquid, « propter quod non vivant. Item est homicidium « scandali; *1 Cor.*, vii, 11 : *Peribit infirmus in tua « scientia frater, propter quem Christus mortuus « est.* »

Additio.

a. — *Audistis quia dictum est antiquis : Non occides*, etc. Lyranus et Abulensis, hoc loco in ea sunt sententia, ut dicant quod Scribae et Pharisei existimabant præcepta decalogi solas externas actiones prohibere, non autem actus internos. Tamen communior est doctrina, quantum conjicimus ex hoc Christi sermone, quod hæc suam doctrinam solum tradiderint in quinto et sexto præcepto. Unde tolam legem falsissimis interpretationibus prævaricabantur; nam lex expresse clamabat : *Non concupiscis uxorem proximi tui*; tunc ipsi prævaricatores existimabant impleri legem, dummodo alienam uxorem non raperent. Catholicorum autem omnium doctrina verissima est, quinto et sexto præcepto prohiberi non solum actus externos, sed etiam internos; ac proinde sollicite custodiendæ sunt cogitationes internæ, maximeque refrenandæ.

S. Joannes Damascenus, primam casti hominis curam ad hoc intentam esse debere dicit, ut cor ab immundis et sordidis cogitationibus mundetur et purificetur. « Principaller, » inquit, « vitii hujus, « scilicet peccati carnis, « correctio cordis perfec- « tione descendit, ex quo etiam hujus morbi virus « Domini voce prodire signatur : *De corde*, inquit, « exeunt cogitationes mala, adulteria, etc. Illud ergo « est primitus expiandum, unde fons vitæ et mortis « mature agnoscitur. » Unde Salomon monet : *Omni custodia serva cor tuum.* Enimvero experientia quotidiana commonstrat, quod in locum in quem caput serpentis ingreditur, totum corpus ejus pariter ingreditur, ibidemque venena sua diffundat et mortem inferat. Quiddam vero serpentis aliud indicat, quam cogitationem et desiderium inhonestum? Ubi enim hoc locum obtinet, et sine ulla repulsa aut resistentia nidificat, ibi quoque peccati vene-

num subintrat, quia a cogitatione fit transitus ad complacentiam, inde ad consensum, quem tandem appetitus carnalis consummatio et satisfactio infalibiter subsequitur.

VERSUS 22.

Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio; qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.

Ego autem dico vobis.

1. — Cajetanum modum hunc imperativum loquendi specialiter observat dum ait: « Non dicit « more Prophetarum: Dominus dicit; sed monstrans se legislatorem æqualem illi qui dixit antiquis, « ait: *Ego autem* non minor Deo, *dico vobis.* » Eandem quoque ponderationem S. Thomas his verbis offert: « In quo considera legislatoris potestatem; nullus enim antiquorum Prophetarum ita locutus est, sed sic: *Hæc dicit Dominus*, quia illi « ut servi ea, quæ sunt Domini, annuntiabant; hic autem ut filius, ea quæ sunt Patris, quæ etiam « sua sunt; et illi consensu predicabant, hic suis « servem legem ponebat. »

2. — Hugo Cardinalis Glossæ testimonio innoxius existimat, quod Christus per hanc phrasim et loquendi modum nos extimulare voluerit, ut ad ea, quæ dicturus erat, nos serio et attente reflecteremus: « Dum ait: *dico*, magnam vim, et profundam intelligentiam cogitandi incessit, ostendit, « quomodo superaddit, et non quæ prius mandaverat, absolvit. »

Omnis qui irascitur.

3. — Salvator noster videns, quod Scribæ et Pharisei existimarent atque docerent, quod lex solummodo homicidium actuale et opere exteriori completum prohiberet, operæ pretium esse duxit, hunc errorem corrigere, declarando, quod insuper etiam ira, injuria, et odium vitium sit, eo quod viam ad homicidium committendum pandat. Cum igitur hoc sub gravissima pœna interdixit, jure merito nunc quoque iram prohibet: « Qui enim in « iracundiam non effertur, » inquit D. Chrysostomus, « quanto longius ab homicidio abstinerebit? et « qui animi indignationem refrenat, quanto magis « manus suas innoxias continebit? radix quippe « homicidii iracundia est; qui igitur radicem « abscedit, multo facilius ramos ejus poterit amputare. »

4. — Hugo Cardinalis etiam considerat, quod, postquam Christus dixisset: *Dictum est antiquis, non occides*, protinus subjunxerit: *Ego autem dico: Omnis qui irascitur*, plus impono, non irasci. Verum dicit fortasse aliquis, inquit, quomodo huic Christi monito satisfacere quis poterit, quando appetitum

irascibilem nobis connaturalem et congenitum esse constat? Et ideo idem Hugo subdit: « Ex hoc « arguunt quidam, quod manus Christi graviores « sunt, quam Moyses, sed non est sic, quia charitas « adjuvat, Sacramenta Evangelicæ, doctrina aperta, « et magna promissa etiam data, quia antiquis « promittebantur, et dabantur temporalia, Christus « tamen autem æterna. »

5. — Porro satis hoc loco controversum est, an legendum sit: *Qui irascitur sine causa*; an vero simpliciter: *Omnis qui irascitur*. S. Hieronymus, a S. Thoma in catena citatus, scribit, quod in nonnullis codicibus legatur additum, *sine causa*; cæterum « in veris definita sententia est, et ira penitus « tollitur; si enim jubemus orare pro persequenti « tibus, omnis iræ occasio tollitur, radendum ergo « est, *sine causa*, quia *ira viri justitiam Dei non « operatur.* » Jansenius tamen, Chrysostomus, Auctor Imperfecti, et alii verba illa *sine causa*, addenda esse existimant. Jansenius quoque ait: « In Græcis « codicibus additur jam passim, *temere*, vel *sine « causa*, » citatque S. Augustinum, qui in horum verborum expositione, verba *sine causa*, addit, tametsi in *lib. I Retractionum, cap. xix*, verba illa in Græcis libris minime reperiri dicit. Porro Auctor Imperfecti non solum illud, qui ex justa causa irascitur, non peccare asserit, « sed e contra nisi irati « fuerint, peccant; » cujus hæc reddit rationem: « Quia patientia irrationabilis vitæ seminata, negligentiam nutrit, et non solum malos, sed etiam « bonos invitat ad malum; iracundia, quæ cum « causa est, non iracundia est, sed iudicium. » D. Chrysostomus, *Hon. xvi in Matth.*, pariter per evidentes rationes, iram, utpote quæ naturalis quidam affectus est, non prohiberi probat, simul tamen modum illam reprimendi et refrenandi tradit et præscribit his verbis: « Non enim omnino illum « extinguit affectum. Primo quidem, quia impossi- « hile est hominem passionibus liberari; deinde, « quia multis utilis est affectus iste, si illo videlicet « opportune ac scienter utamur, » adducit quoque quoddam S. Pauli exemplum, qui dum se adversus Corinthios indignandum exhibuit, eosdem ab ingenti quodam malo liberavit: « Quodnam igitur « opportunum est tempus ire, quando non scilicet « nosmetipsos ulciscimur, sed cum reprimimus « erga alios insolentes, cumque desides increpatione « convertimus. Quod vero importunum est tempus « iræ? cum scilicet, ut nosmetipsos vindicemus, « irascimur; » citatque illud S. Pauli monitum: *Non nosmetipsos vindicantes charissimi*, ita ipse legit, *sed date locum ire*; » quando etiam de pecuniis litigamus, de quo idem quoque Apostolus nos monet dum ait: « *Quare non magis injuriam « accipitis? quare non magis fraudem patimini? « sicut hic irasci superfluum et inutile est, ita ira « illa et necessaria est et commodissima, sed plu-*

« rimi e contrario faciunt: efferuntur quidem, « cum ipsi aliquid patiuntur injuriæ, resolvuntur « vero, et omnino molescunt, cum alios vel maxi- « mam afflictionem viderint sustinere. » Idem quoque S. Chrysostomus super illa verba: *Irascimini et nolite peccare*, dicit, quod liceat juste irasci, idque duorum Apostolorum Petri et Pauli probat exemplo: « Paulus Elymæ succensuit, *Act.*, xii, 8, et Petrus « Saphyræ, *Act.*, v, 9. Irascitur pater filio, sed « ejus curam gerens. Ille est qui temere irascitur, « qui seipsam ulciscitur; qui autem aliena corrigit, « is est omnium mansuetissimus. » Ad illum vero Jobi, v, 2, textum: *Virum stultum interfecit iracundia*, per adductam hanc S. Gregorii auctoritatem respondet: « Sciendum est, quod alia est ira, « quam impatientia excitat, alia quam zelus justitie format: illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. » S. Thomas, in *catena*, sequentia citat ejusdem Chrysostomi verba, dicens: « Iracundia, quæ « cum causa est, non est iracundia, sed iudicium: « iracundiam enim proprie intelligitur commotio « passionis: qui autem cum causa irascitur, ira « illius non est ex passione, ideo judicare dicitur, « non irasci. » Theophylactus ita legit: « *Qui irascitur temere, condemnabitur*; si autem is qui irascitur, ratione justa motus, et ut alium erudiat et « spiritali zelo, non condemnabitur. » Mox vero quando temere et sine causa irascamur, declarat, dum ait: « Tunc autem temere irascimur, quando « propter opes, vel gloriam. » Jansenius Euthymium allegans ita scribit: « Non omnimodam abstulit, « iram, sed intempestivam; dicitur autem oppor- « tuna, quæ sumitur adversus eos, qui contra Dei « præcepta vivunt, quando non ad vindicandum « nos, sed ad utilitatem eorum, qui male vivunt, « ex dilectione et amore fraterno irascimur cum « congrua honestate. » Sic quoque non vitium, sed virtus est ira illa, qua in nosmetipsos concitatur, corpori et sensualitati nostræ, ejus exprobrando adversus Deum, rectæ rationis dictamen rebellionem, et ex justa vindicta illud castigando, vel dum cum sancta quadam indignatione appetitus et passionis inordinatas impugnamus, ut illas domemus, et discipline freno coercemus.

6. — S. Anselmus, in *Matth.*, hoc modo hæc de re decurrit: ex quo lex Dei prohibet, ne homicidium ipso opere committamus, Christus vero insuper vetat, ut ne vel corde illud patremus, videamus nunc, quænam vel qualis ira sit, quæ prohibetur; et quidem in primis quoad suggestionem ita distinguit: « Illa autem est exterior a diabolo, aut est interior ab ipsa carnis fragilitate, quæ utraque non « est peccatum, sed materia pugnandi et victoria; « post suggestionem propassio est, id est, subitus « motus est, qui est aliqua culpa, sed venialis, sine « aliqua deliberatione boni, vel mali, deinde sequitur passio, quando non solum habet motum,

« sed etiam deliberat, quomodo faciat, et ista est « mors in domo. Deus prohibet passionis iram, « quæ est ex deliberatione, quæ est criminalis. » Imo idem S. Doctor probat, iram deliberatam, sive etiam odium et deliberationem, quæ ex illa derivantur, quasdam esse homicidii partes, sive species: « Omnes motus ad nocendum fratri, inter genera « homicidii computantur, id est, detractio, quæ est « effectus odii et iræ, homicidium dicitur, » quod ipsum ex illis S. Joannis Apostoli, I *Epist.*, iii, 15, verbis confirmat, dicens: *Qui odit fratrem suum homicida est*. S. Thomas quoque, in *Matth.*, quænam sit ira, quæ hic condemnatur, his verbis declarat, dum verba illa: *Omnis qui irascitur*, hunc sensum habere dicit: « Quicumque motum malum ad « nocendum proximo habuerit et retinuerit. »

7. — Auctor Operis Imperfecti ad hæc appetitum irascibilem, e cordibus nostris eradicandum, utilissimam hanc habet observationem, dum ait: « Puto quod Christus non tantum pro inimicis « nostris illa mandavit, quantum pro nobis, non « quia illi digni sunt, ut diliganter ab aliquo, sed « quia non sumus nos digni, ut aliquem odiamus; « ergo non tantum jubet diligere inimicos, ut illos « diligamus, quantum ut a nobis, quod malum « est, repellamus. » Etenim ita corporis, mentis et animæ salutem periculisissimo existit; corporis quidem, quia sanguinem accendit et excitat bilem I *Eccl.*, xxx, 26: *Zelus et iracundia minuunt dies*, id est, ut Hugo ibi explicat: « *Dies vite presentis, quoad « litteram; » præterquam quod consequens sit, ut qui iram præcipitem habet, injurias, rixas, inimicitias et strages excitet; ira enim iudicium, rationem et discursum turbat et pervertit. Unde Doctor Angelicus hanc conclusionem statuit: « Ira inter « omnes passiones animæ maxime iudicium rationis impedit, » et S. Gregorius ait: « Dum per- « turbata est mens, iudicium rationis exasperat et « omne quod furor suggerit, rectum putat. » Quod si vero de anime salute loqui velimus, constat nobis quod Salvator dicit: *Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam Scribarum et Phariseorum, non intrabitis in regnum colorum*. Et S. Jacobus, I, 20, dicit: *Ira viri justitiam Dei non operatur*; hæc enim inordinata passio omnibus Christianis virtutibus obicem ponit. Unde S. Petrus Damianus ait: « Per « iracundiam tota virtutum structura collabitur; » et ideo observandum hic est quod, postquam Christus virtutum et perfectionis quam in nobis majorem esse vult, quam fuerit illa Scribarum et Phariseorum mentionem fecisset, idipsum protinus in ira, injuriis et odio exemplificat, quæ dicit esse summe fugienda; cur obscuro non potius charitatem allegat, quæ vera est sanctitatis et perfectionis anima? S. Bonaventura, *Serm. in hac Dom.*, ait: « Sicut omnium virtutum incrementum pendet a « charitate, sic omnia vitia sumunt incrementum*

« ex furore iræ; unde Glossa super illud: *Vir iracundus suscitatus rixas*, dixit sic: Janua omnium « vitiorum est iracundia, qua clausa, virtutibus intrinsecus datur requies, et aperta, ad omne facinus armabitur. »

Fratri suo.

8. — « Itaque, » inquit Jansenius, « per datum, fratri, satis significatur, Dominum loqui de ira tali, quæ pugnat cum dilectione fraterna. »

9. — Porro quid per hunc fratrem intelligi debeat, Albertus Magnus nobis his verbis pulchre insinuat, dicit enim: « Frater hic dicitur omnis « conjunctus religione et conformitate nature; et « religio conjunctus dicitur actu vel potentia, « quia licet non sit actu Christianus, tamen potest « fieri per gratiam quam forte illi dabit Dominus, « Malach., ii, 10: *Namquid non est pater unicus omnium nostrum? Namquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque vestrum fratrem suum?* » S. Thomas, in *Math.*, ait: « *Fratri suo* per naturæ commixtionem, vel per fidem, sicut sunt Christiani. » S. Anselmus dicit: « Bene « dixit fratri; omnis enim homo frater est per « primam generationem et spiritualiter fidelis, per « secundam, id est, per regenerationem. »

Reus erit judicio.

10. — D. Chrysostomus, a S. Thoma in *Catena* citatus, rationem reddit, cur iracundus iudicii reus constituitur, dicit enim: « Ideo autem iræ iudicium appositum, ut ostendat, quod non est possibile, hominem omnino esse sine passionibus, sed « refrenare eas possibile est et propterea determinatam penam non apposit, ne videretur prostris « iram collibere. »

11. — S. Bonaventura, *Serm. i in Dom. V post Trin.*, considerat, quod homo tribus modis, secundum tria videlicet corporis instrumenta: « Cordis « nimirum, oris et manuum, » adversus alterum irasci possit: « Primo, irascitur quis fratri perverso « iudicio malignæ cogitationis in corde. *Secundo*, « duro verbo injuriosæ conviciationis in ore. *Tertio*, « pravo maleficio fraternellesionis in opere. » Omnes autem hasce offensas Salvator noster e medio sublatis esse voluit: « Primo, hanc interiorum cogitationem illicitam et commotionem « removet, cum dicit: *Ego autem dico vobis: Omnis « qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*, quod intelligitur sic: Id est, plus addo quam non occidere, scilicet irasci; nam qui non irascitur, non occidit. *Secundo*, irascitur aliquis duro verbo injuriosæ conviciationis in ore; et hunc motum « exteriorem removet, cum dicit: *Omnes qui dixerit fratri suo Raca, vel fatue*, quod fit, quando « motus interior prorumpit in vocem exteriorem. » *Tertio*, denique removet offensam actualem, appro-

bando hoc ipsum, quod jam olim prohibitum fuerat: *Non occides*, videt etiam prohibendo iram: « Nam tolle iram et homicidium non fit. »

12. — S. Thomas, in *Math.*, hæc Evangelii verba exponens, sequens proponit dubium: « Quæritur, quare ita gravat peccatum lingue? » videmus etenim quod manus longe magis proximo nostro noceat, quam lingua contumeliosa, respondetque cum Chrysostomo: « Omnis sermo vanus, « qui dicitur, immundo spiritu dictante profertur; « vanum ergo dicentes, non tantum ideo peccamus, quia aliquem lædimus, sed quia locum « damus in nobis immundis spiritibus agendi quod « volumus; » quod quidem si de sermone vano asserat, quid de injuria dicemus? Porro sancta Mater Ecclesie, utpote de spirituali fidelium amantissimorum filiorum suorum salute summe sollicita, varia nobis per anni gyrum proponit Evangelia, tum ut in virtutum Christianarum exercitio nos erudiat, tum ut illos a vitiiis removeat, idque asserit qui satagit sive per propositum præmiæ objectum, sive per poenarum comminationem, sive per culpæ damna efficaciter representata; in hodierno Evangelio autem ad id præcipue conlatur, ut vivaciter nobis imprimat peccati iræ, odii, verborumque contemptum, vilipendium et injuriam proximo inferentium gravitatem.

13. — S. Jacobus, iii, 5, Apostolus, ut quantum ex unico tantum verbo injurioso damnum derivari possit, clarius exponat, aptissima quadam utitur similitudine, dum ait: *Ecce quantus ignis, quam magnum sylvam incendit et lingua ignis est universalis iniquitatis*; etenim unica ignis scintilla ad conflagramandam non solum sylvam, sed totam mundi vastitatem sufficit; in multis namque occasionibus experientia docuit, quod unicum verbum mordens et punctivum tales excitaverit rixas et dissensiones, ut per irreconciliabilia inde exorta bella civitatibus et provinciis integris totale illatum fuerit exterminium. Chrysostomus, *Hom. v ad bapt.*, ait: « Demon « undique nobis insidias parare consuevit, sed facilius lingua et ore peccante; nullum enim æquæ « illi congruum organum in ministerium est interitus alque peccati; nam inde nobis mors, inde « lapsus, inde perditio, inde naufragium preparatur; » enim vero dæmon specialissime ad charitatem in nobis extinguenda lingua utitur, quia hæc sola extincta, deficit omnis virtutis bonique operis meritum, nosque inimici Dei constituimur, quæ omnia mediante verbo aliquo arrogante, iracundo et injurioso assequitur. Et ideo S. Bernardus, *Serm. de trip. cust.*, ait: « Levis quidem res sermo, quia « leviter volat, sed graviter vulnerat; leviter transit, « sed graviter urit; facile volat, atque adeo violat « charitatem. » Et quidem quantum toti mundo damnum, vel unicum verbum injuriosum attulerit, ex eo facile colligitur, quod in Historico quodam

legitur, qui imperii Ottomanici recenset originem. Cum enim vivente Heraclo Imperatore, ob nimiam Officialium illius avaritiam, Saraceni, quos dictus Imperator ex Arabia, sub suo exercitu ut militarent, transtulerat, pacta non reciperent militiæ stipendia, contigit, quod dum illa ferventius sollicitarent, thesaurarius Casareus ira percitus contumeliose illis, sibi nullum prosumentandis canibus panem superesse responderit, quam illi contumeliam adeo acerbè tulerunt, ut omnes unanimiter hæc illis illatam injuriam justa vindicta prosequi decreverint; unde in Arabiam reversi, Mahometem sibi in generale belli ducem elegerunt, subque signis et imperio ejus irreconciliabiliter adversus Casarem dimicando, illos tandem fecerunt victoriarum suarum progressus, quos etiamnum, licet frustra, ingemiscit et deplorat universus Christianismus; hæc igitur, quam verum sit, quod parvus ignis magnam sylvam incendit.

14. — Porro observandum est, quod in hoc secundo loco, in quo mentio fit de iudicio, iudicium illud nequaquam, in eodem sensu intelligendum sit, quo in primo; ibi namque sermo est de iudicio publico, quod servata juris forma instituitur, in quo proinde homicidæ post factum juris processum condemnantur; hic autem nomine iudicii intelligendum est iudicium Dei, quod iracundos pro qualitate transgressionis suæ condemnat, vel etiam, ut Paulus de Palatio, in *Math.*, scribit, de iudicio propriæ conscientiæ intelligitur: « Quia enim arbitris « et publica caruit offensæ, eodem publico debet « carere iudicio; cum igitur te contra fratrem « excanduisse contigerit, tu te in iudicium et examen revoca, ut videas, quo animo iratus fuisti in « fratrem; nam si peccasti mortaliter, confessor « iudex erit. »

Qui autem dixerit fratri suo Raca.

15. — Hugo Cardinalis verbum hoc *Raca* exteriorem iracundiæ actum exprimere existimat: « Id est, qui de motu in vocem damnationis prorumpit; *Raca* enim interjectio est indignationis nem significans preferentis. » S. Augustinus quoque idem verbum significativum non esse advertit, sed sonum quemdam contemplus et vilipendii proximi expressivum quia etiam per actus et gestus internos, contemptus exhibetur, aliisque ignominia et ludibrium inuritur. Lucas Brugensis per eum, qui fratri suo *Raca* dicit, eum intelligit: « Cujus « ira eruperit in vocem hujusmodi, qua fratri suo « exprobret vitium aliquid aut nature, aut fortune, neque enim verbum est, quod delictum « exprimat, sed ludibrium. » Unde et Albertus Magnus dicit: « Non sonat aliquando crimen, sed « est signum indignationis cum contumelia, sine « criminis impositione. » Theophylactus dicit: « Significat idem quod ut, cum ad aliquem con-

temptum nobis dicimus: abi tu. » Et S. Hilarius ait: « Vacillatio opprobrium est; » quod et S. Hieronymus confirmat dum ait, *Hom. xvi in Math.*: « Hoc verbum proprie Hebræorum est, id est, inanis, vacuum, quem nos possumus vulgata injuria, « absque cerebro nuncupare. » Chrysostomus quoque ait: « Non grandis alicujus est verbum contumeliosum, sed magis de contemptu veniens impatientiæ dicentis, ut ipsi nonnunquam vel servilis, « vel inferioribus quibusque aliud imperantes « dicimus, *vade tu.* »

Reus erit concilio.

16. — S. Anselmus ait: « Qui non solum irascitur, sed etiam in vocem indignationis prorumpit, « majorem poenam promeretur. »

17. — Chrysostomus observat, quod tametsi hoc verbum nullius sit expressivum gravis injuriæ, attamen id, quod minus est, prohibere voluerit, ut aditum prohiberet ad id, quod est gravius: « Miscricors Dominus cum majoribus etiam minima « queque delicta pariter evellit, præcipiens, ut « mutuo nobismetipsis et honorabilibus utamur et « cautius, ut per hæc majora quoque peccata auferantur. » S. Hieronymus hujus comminatione poenæ rationem reddit, dicens: « Si pro otioso sermone « redditori sumus rationem, quanto magis de contumelia? »

18. — Lyranus considerat quod Salvator noster tres iræ gradus distinguit: « Quia enim arbitris « et publica caruit offensæ, eodem publico debet « carere iudicio; cum igitur te contra fratrem « excanduisse contigerit, tu te in iudicium et examen revoca, ut videas, quo animo iratus fuisti in « fratrem; nam si peccasti mortaliter, confessor « iudex erit. »

19. — In hac porro gradatione et gravitate supplicii Christi effectus iræ insinuare intendit, quæ in appetitum et desiderium vindictivum prorumpit, vel per verba injuriosa, tametsi illum ad homicidium perpetrandum non præcipit; atque ad hoc significandum quadam Judæis familiari utitur metaphora, qui rei vel in iudicio, vel in concilio supplicium decernere solebant. Hugo Cardinalis in ea est opinio, quod hæc tria in Evangelio nominata verba: *Judicium, concilium, gehenna*, poenam significant inferni: « Sed quia secundum qualitatem « culpæ variatur qualitas poenæ, voluit Dominus « nominum varietate varietatem poenæ significare

« minus est enim ira cordis; plus est *Raca*, id est, affectus iræ in vocem prorumpens; plus etiam est *fatue*, id est, certa expressio convicii, propter quam redditur aliquis infamis; primo iudicium, secundo concilium, tertio gehenna debetur; iudicium est, quando cum reo agitur et adhuc locus defensionis conceditur; concilium dicitur, quando de sententia danda agitur inter iudices; gehenna dicitur illatio pænæ; grave est de culpa agere, gravius est sententiam dare, gravissimum est pœnam irrevocabiliter infligere. »

Qui autem dixerit, fatue.

20. — Id est, inquit S. Anselmus, « qui convicio fratrem conturbavit. » S. Hilarius dicit: « Piaculi magni periculum est, quem salem Deus nuncupaverit, eum contumelia infatuati sensus accessere. » Albertus Magnus hujus injuriæ gravitatem simili quadam consideratione examinat, dicens: « Non modicus furor est, quem Deus sale sapientiæ dividit, infatuatum dicere, ut dicit Glossa: fatuus dicitur ex destitudo regimine rationis, sapore caret bonorum morum; et hoc est impositio magni criminis cum impleta voluntate nocendi. »

21. — Lucas Brugensis dictum illud ad quamvis contumeliam et injuriam gravem extendit: « Id est, cujus ira eo prorumpit, ut fratrem suum adhuc sceleris alieque aut impietatis notet, eo enim pertinet convicium fatui; nam fatuus vere ac proprie est, qui vitam instituit non secundum legem Dei, a recta scilicet ratione alienam. »

Reus erit gehennæ ignis.

22. — Paulus de Palatio hanc gehennam vallem quamdam, certi ejusdem hominis Hiron appellati, fuisse scribit, quæ admodum amœna et deliciosa erat, quo in loco Gentiles ad honorem idoli Moloch, quod eo in loco adorabant, filios suos igne conflabant, ne autem parentes filiorum suorum audirent ploratus et ejulatus, ex quo cremebantur tempore, tympana, aliæque instrumenta musica circumstrepebant: « Dum puer ardebat, saltabant adstantes et percutiebant tympana. » Hanc vallem Josias rex, ut magis abominabilem et exosam redderet, cadaveribus, aliisque morticinis et immunditiis repleri jussit: ut igitur Salvator noster infernum demonstraret et circumsciberet, hujus vallis nomine usus fuit, non solum ratione ignis, quo parvuli concremabantur, quique ibidem continuo ardebat; verum etiam, quia ibi illud Jobi, xxi, 12, adimplebatur oraculum: *Tenent tympanum et citharam, gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt.*

23. — S. Gregorius, *lib. XII Mor.*, iv, ait: « Per gradus culpæ crevit ordo sententiæ, quia in iudicio adhuc culpæ discitur, concilio autem cause

sententia definitur, in gehenna, ea, quæ de concilio egreditur, sententia expletur. »

24. — Jansenius super tres predictos iræ et pænæ gradus, similem quamdam considerationem habet; dicit enim: « Sciendum, Dominum in istis tribus gradibus iræ et reatum attemperasse dicitur: iram suam ad captum simplicium; non enim semper minus peccat, qui tacitus irascitur, quam qui convicii debacchatur, sed pro captu vulgi, per eum, qui tantum irascitur, propositum exitum iræ levis, quæ nondum decrevit ultionem; per *Raca*, iræ gravioris; et per *fatue*, iræ gravissimæ circa homicidium: sic quod irascentem, dicitur reum iudicio; dicentem *Raca*, reum concilio, dicentem *fatue*, reum gehennæ ignis. »

25. — Quidam istud, inquit D. Chrysostomus, « exaggeratione magis, sive per hyperbolen dictum esse voluerunt; » eo quod peregrinum illis, sive inconveniens esse videatur, quod unicum tantum verbum asperum et contumeliosum pœna sit æterna mulctandum; sanctus tamen Doctor modum hunc loquendi non hyperbolicum, sed veridicum esse existimat, dicit enim: « Sed vereor, ne nosmetipsos his verbis omnino frivolis, vel potius infidelibus seducentes, in rebus ipsis supplicia extrema solvamus. » Ratio autem, quam S. Doctor reddit et pondus contumelie, et gravitatem culpæ citra demonstrat; subjungit enim: « Non aspicere, quod unum hoc verbum sit, sed quantum periculi habeat, expendere; an ignora inimicitiarum tempore incandescens ira, animoque prorsus ardente, etiam minimum aliquid magnum aliquid videri? Hæc parvula et homicidia sepe pepererunt et urbes sepe integras subverterunt. »

26. — Theophylactus eandem considerationem his verbis adducit: « Multi, » inquit, « hoc grave et durum esse putant, non est autem; nam qui fratrem suum ratione et prudentia privat, facit que ut in nullo differat a bestiis, quomodo non dignus gehenna? Etenim qui scommatis et contumeliis persequitur, charitatem destruit, quæ destructa simul omnes destruantur virtutes, quæ contumelia proximum afficit, dum charitatem dilacerat et proinde ignis incendio dignus fuerit. » Idem quoque motivum Chrysostomus tangit, dum hanc pœnam non per exaggerationem comminatam esse ostendit: « Nihil enim ita studet Deus, ut nos mutuis charitatis nexibus colligare, nihil enim quod ita omnem malitiam et pariat et firmet, ut interemptio charitatis. »

27. — Inter ea bona temporalia, quæ homo maxime facit, unum et quidem precipuum est, honor et existimatio, sive fama bona, hæc autem per injuriam valde denigratur, unde Ecclesiasticus, xxviii, 21, infamiam appellat *Flagellum linguæ*, quia flagellum præter percussionem, ignominiam secum et infamiam affert, cum sit proprium mancipiorum

et hominum vilissimorum abjectissimorumque supplicium; unde illi qui apud Jeremiam, affectum quandam iracundiæ valde vindictivum exprimere volebant, dixerunt: *Venite percutiamus eos lingua.* Job, qui generosioris patientiæ prototypus fuit, constans quidem fuit, quando ei omnium facultatum suarum ruina, nec non omnium filiorum suorum mors et domus suæ nuntiabatur exterminium, similiter se a vertice capitis ad plantas pedum usque a vermibus devorari heroica cum patientia sustinuit; at vero, quando ludibrio et improperis infestari cepit, non nihil se impatientem exhibuisse visus fuit, Job., xix, 2: *Usquequo affligitis animam meam et atteritis me sermonibus?* Vulnera quidem, sive ulcera corpus perforabant, at vero injuriæ ad ipsam usque animam penetrarunt; nam ut Origenes ait: « Sæpenumero qui corporis cruciantur a toleravit, non passus est verba. » Et S. Ambrosius inquit: « Verborum suorum saxis lapidabant innoxium. »

28. — Universa lex Evangelica huic unico dilectionis præcepto innititur; unde dicitur: *Qui diligit proximum, legem implevit*, injuria autem charitati directe opponitur, quia dum proximum aspernatur, vilipenditur et vituperatur, suam dissonionibus et inimicitias originem subministrat et quisquis in hæc prorumpit, ab ira et furore se vinci permittit, eundemque in fratre suo ut plurimum excitat. Unde beatus Laurentius Justinianus ait: « Principium amicitie est bene loqui et grande exordium inimicitiarum est, injuriari contumeliose. »

29. — Observastisne unquam, quando quidem Spiritus Sanctus in toto vastissimo sacræ Scripturæ volumine primum de gehenna, quæ idem est quod infernus, mentionem fecerit? Quot abominandi excessus in veteris Testamenti decursu referuntur! Quam severa a vindictiva Christi justitia illata leguntur supplicia! Et tamen Sapientia illa increata, ad faciendam hujus nominis gehennæ mentionem, non sine mysterio eousque exspectavit, donec illam comminaretur in pœnam et supplicium injuriæ proximo illatæ, tunc enim omnium primo nominavit.

30. — Tritum in Israel proverbium erat: *Cæcus et claudus non intrabunt templum*; ex quo illos a Deo abjectos et repudiatos fuisse colligitur et tamen constat, quod iidem cæci et claudi, jussu patristicis Evangelicis, in quo Filius Dei præfiguratus fuit, ad eam, quæ symbolum est gloriæ, invitati fuerint; et ideo ad intelligendam hujus dicti primam originem, unde procedit, sciendum est, quod in eodem monte Sion, in quo templum Domini fabricatum erat, fortalium quoque a Jebusis gentilibus terræ Chanaan possessoribus fuerit erectum, illudque adeo firmiter munitum, ut, quia insuperabile esse credebatur, alios ad illius custodiam non adhiberent presidarios, ut nonnulli opinantur, præ-

ferquam cæcos et claudos, eo quod illud nunquam expugnandum fore credebant; hi autem Davidem illud invadere tentantem deriserunt, multis affecerunt injuriis et verborum contumeliosorum opprobriis: « Cæcos et claudos odientes animam David, » idcirco dicitur in proverbio: *Cæcus et claudus non intrabunt in templum*; quod idem est, ac si diceretur, illi, qui proximos suos probis et injuriis afficiunt, nullam cum Deo partem habebunt. De S. Eliseo Propheta adeo firmiter in virtutibus fundatus fuerit, utpote qui duplicem Eliæ spiritum hereditatis loco, ab eodem accepit, nihilominus opprobrium istud ægerrime ferens: *Maledixit eis in nomine Domini.* Quam vero Deus hanc maledictionem ratam gratamque habuerit, vel ex eo manifeste colligitur, quod divina justitia, hæc maledictione prolata, in eisdem subito animadvertit: *Egressi sunt duo ursi de silva et laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros*; et quidem, non obstante quod eum non ob moralem quandam, sed ob naturalem calvitiei defectum, et in ætate, quæ omnis malitiæ et judicii incapax erat, deriserunt, Deus tamen illos ob hunc reatum tanta cum severitate castigare voluit, ut essent in exemplum omnibus illis, qui se malitiose ab ira et odio seduci permittent, proximi impudenter injuriari et contumelias afficere non dubitant, falsa illis crimina imputando; hi enim longe majori sunt digni supplicio: *Reus erit gehennæ ignis.*

Adiciones.

a. — Ego autem dico vobis: *Omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio.* Non prohibet tantum Dominus homicidium formale et externum, sed etiam vult cor nostrum ab omni odio liberum et os verbis suavissimis referat. Item locus non vult charitate proximi ornatos, idque non immerito; magna enim cum facilitate, delectabilitate et lucro, debito fraternæ dilectionis satisfacere possumus. S. Laurentius Justinianus advertit præceptum dilectionis fraternæ nobis non solum datum esse pro acquirendo regno Cælorum, verum etiam ad perfectionem et sanctitatem comparandam, præterquam quod adeo sit facile, ut unicoque adaptetur et accommodetur: « Magna virtus proficiendi in Deum, » inquit, « est hæc charitas mutua, quæ data est divitibus pro gloria, pauperibus pro censu, exulibus pro patria, imbecillibus pro virtute, infirmis pro medicina, pro vita mortuis. » Et alio loco facilitatem qua virtutem hanc exercere possumus optime considerat, dum ait: « Ab omnibus potest impleri; a paupere et divite, ab infirmo